

suetudo sermonis, quod interdum eodem verbo causa  
 sam & effectus complectimur *κατα σικεδοχημ*. Ita  
 Lucae septimo, ait Christus. Remittuntur ei peccata  
 multa, quia dilexit multum. Interpretatur enim  
 seipsum Christus, cum addit. Fides tua saluam te fe-  
 cit. Non igitur voluit Christus, quod mulier illo opere  
 dilectionis merita esset remissionem peccatorum. Ideo  
 enim clare dicit, Fides tua saluam te fecit. At fides  
 est, quae apprehendit misericordiam propter verbum  
 Dei gratis. Si quis hoc negat fidem esse, prorsus non  
 intelligit quid sit fides. Et ipsa historia hoc loco osten-  
 dit, quid vocet dilectionem. Mulier venit hanc affe-  
 rens de Christo opinionem, quod apud ipsum querenda  
 esset remissio peccatorum. Hic cultus est summus cul-  
 tus Christi. Nihil potuit maius tribuere Christo. Hoc  
 erat vere Messiam agnoscere, querere apud eum remis-  
 sionem peccatorum. Porro sic de Christo sentire, sic  
 colere, sic complecti Christum est vere credere. Chri-  
 stus autem usus est verbo dilectionis non apud mu-  
 lierem, sed aduersus Phariseum, quia totum cultum Phari-  
 seum, cum toto cultu mulieris comparabat. Obiurgat  
 Phariseum, quod non agnosceret ipsum esse Messiam, & si  
 haec externa officia ipsi praestaret, ut hospiti, viro mag-  
 no & sancto, Ostendit mulierculam, & praedicat huius  
 cultum, vngenta, lachrymas &c. quae omnia erant  
 signa fidei, & confessio quaedam, quod videlicet apud  
 Christum quaereret remissionem peccatorum. Mag-  
 num profecto exemplum est, quod non sine causa  
 commouit Christum, ut obiurgaret Phariseum vi-  
 rum sapientem, & honestum, sed non credentem.  
 Hanc ei impietatem exprobrat, & admonet eum ex-  
 emplo mulierculae, significans turpe ei esse, quod cum

*Dilexit multum*

**N<sup>o</sup> iij in docta**

*1. fides tua te salua fecit qz hoc ad muliere dicit ostendens no dicit  
 de muliere sed fide omnia narrat. Ergo fides accepit remissionem peccatorum*  
*2. Cum nung dimittit nung diligit, Ergo remitti e omnia diligere*  
*Et dicitur hoc ad usum supra phariseum q. definis hoc ea esse peccatorum  
 non remittit tunc, Adus no e peccator ut in no sibi in fide nos quicquid, sed  
 in charitate superius, et in lachryma leges fuerunt, ad quae in peccato leges ad hoc abis*